

BENEDICTUS PP. XVI

LITTERAE APOSTOLICAE  
MOTU PROPRIO DATAE

***OMNIUM IN MENTEM***

QUAEDAM IN CODICE IURIS CANONICI IMMUTANTUR

Omnium in mentem Constitutio Apostolica [Sacrae disciplinae leges](#), die 25 mensis Ianuarii anni 1983 promulgata, revocavit Ecclesiam, utpote quae communitas sit spiritualis simul ac visibilis atque hierarchice ordinata, iuridicis normis indigere «ut exercitium munerum ipsi divinitus concreditorum, sacrae praesertim potestatis et administrationis sacramentorum rite ordinetur». His enim in normis eluceat semper oportet, ex una parte, unitas doctrinae theologicae et canonicae legislationis, ex altera vero pastoralis praescriptorum utilitas quibus ecclesiastica instituta in animarum bonum ordinantur.

Quo efficacius autem et necessaria haec unitas doctrinalis et ordinatio in finem pastorem in tuto ponantur, mature perpensis rationibus, suprema Ecclesiae auctoritas quandoque decernit opportunas normarum canonicarum mutationes vel additiones in easdem inducit. Haec quidem est ratio ad promulgationem Nos movens praesentium Litterarum, quae duas respiciunt quaestiones.

Imprimis, [in canonibus 1008 et 1009 Codicis Iuris Canonici](#) de sacramento Ordinis, essentialis distinctio firmatur inter sacerdotium commune fidelium et sacerdotium ministeriale simulque dissimilitudo ostenditur inter episcopatum, presbyteratum et diaconatum. Nunc vero, postquam, auditis Patribus Congregationis pro Doctrina Fidei, veneratus Decessor Noster [Ioannes Paulus II](#) immutandum esse statuit textum numeri [1581 Catechismi Ecclesiae Catholicae](#), eum in finem ut aptius quoad diaconos doctrina recoleretur Constitutionis dogmaticae [Lumen gentium](#) (n. 29) [Concilii Vaticani II](#), perficiendam esse Nos quoque censemus normam canonicam hanc eandem rem respicientem. Quapropter, audita sententia [Pontificii Consilii de Legum Textibus](#), decernimus ut verba ipsorum canonum immutentur ut infra.

Cum sacramenta praeterea eadem sint pro universa Ecclesia, unius supremae auctoritatis est probare et definire quae ad eorum validitatem sunt requisita, necnon decernere quae ad ordinem in eorum celebratione servandum spectant (cfr [can. 841](#)), quae sane omnia pro forma quoque in matrimonii celebratione servanda valent, si saltem alterutra pars in Ecclesia catholica baptizata sit (cfr [canones 11](#) et [1108](#)).

Statuitur quidem in [Codice Iuris Canonici](#) eos fideles, qui “actu formali” ab Ecclesia defecerint, legibus ecclesiasticis non teneri circa formam canonicam matrimonii (cfr [can. 1117](#)), circa dispensationem ab impedimento disparitatis cultus (cfr [1086](#)), necnon circa licentiam pro matrimoniis mixtis requisitam (cfr [can. 1124](#)). Ratio et finis huius exceptionis a norma generali [canonis 11](#) eo spectabant, ut matrimoniorum ab iis fidelibus contractorum nullitas vitaretur ob defectum formae canonicae vel ob impedimentum disparitatis cultus.

Horum autem annorum experientia ostendit, e contra, novam hanc legem pastoralia problemata haud pauca genuisse. Imprimis difficilis apparuit determinatio et practica configuratio, singulis in casibus, huius *actus formalis defectionis* ab Ecclesia, sive quoad eius substantiam theologicam sive quoad ipsius aspectum canonicum. Multae praeterea exsurrexerunt difficultates cum in actione pastorali tum in tribunalium praxi. Etenim e nova

lege oriri videbantur, saltem oblique, commoditas ac veluti adiumentum apostasiae illis in locis ubi fideles catholici exigui sunt numero, vel ubi iniquae vigent leges matrimoniales discrimina statuentes inter cives ratione religionis; difficilis praeterea fiebat reditus horum baptizatorum qui novum contrahere exoptarent matrimonium canonicum, post prioris ruinam; denique, ut alia omittamus, horum matrimoniorum permulta devenerant de facto pro Ecclesia matrimonia sic dicta clandestina.

His omnibus positis, atque accurate perpensis sententiis sive Patrum [Congregationis pro Doctrina Fidei](#) et [Pontificii Consilii de Legum Textibus](#), sive etiam Conferentiarum Episcopalium quibus consultatio facta est circa utilitatem pastorem servandi aut abrogandi hanc exceptionem a norma generali canonis 11, necessarium apparuit abolere hanc regulam in canonicarum legum corpus nunc vigens introductam.

Auferenda proinde decernimus in eodem *Codice* verba: "neque actu formali ab ea defecerit" [canonis 1117](#), "nec actu formali ab ea defecerit" [canonis 1086 § 1](#), et "quaeque nec ab ea actu formali defecerit" [canonis 1124](#).

Itaque hac de re auditis [Congregatione pro Doctrina Fidei](#) atque [Pontificio Consilio de Legum Textibus](#) itemque rogatis sententiam Venerabilibus Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus Dicasteriis Romanae Curiae Praepositis, quae sequuntur decernimus:

Art. 1. Textus [can. 1008 Codicis Iuris Canonici](#) ita immutatur ut posthac absolute sic sonet:

"Sacramento ordinis ex divina institutione inter christifideles quidam, caractere indelebili quo signantur, constituuntur sacri ministri, qui nempe consecrantur et deputantur ut, pro suo quisque gradu, novo et peculiari titulo Dei populo inserviant".

Art. 2. [Can. 1009 Codicis Iuris Canonici](#) posthac tres paragraphos habebit, quarum prima et secunda constant textu vigentis canonis, tertiae vero novus textus ita sit redactus ut ipse can. 1009, § 3 absolute sic sonet:

"Qui constituti sunt in ordine episcopatus aut presbyteratus missionem et facultatem agendi in persona Christi Capitis accipiunt, diaconi vero vim populo Dei serviendi in diaconia liturgiae, verbi et caritatis".

Art. 3. Textus [can. 1086, § 1 Codicis Iuris Canonici](#) sic immutatur:

"Matrimonium inter duas personas, quarum altera sit baptizata in Ecclesia catholica vel in eandem recepta, et altera non baptizata, invalidum est".

Art. 4. Textus [canonis 1117 Codicis Iuris Canonici](#) sic immutatur:

"Statuta superius forma servanda est, si saltem alterutra pars matrimonium contrahentium in Ecclesia catholica baptizata vel in eandem recepta sit, salvis praescriptis [can. 1127, § 2](#)".

Art. 5. Textus [canonis 1124 Codicis Iuris Canonici](#) sic immutatur:

"Matrimonium inter duas personas baptizatas, quarum altera sit in Ecclesia catholica baptizata vel in eandem post baptismum recepta, altera vero Ecclesiae vel communitati ecclesiali plenam communionem cum Ecclesia catholica non habenti adscripta, sine expressa auctoritatis competentis licentia prohibitum est".

Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris Apostolicis Motu Proprio datis decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiari etiam

mentione dignis, eaque in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali* promulgari statuimus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXVI mensis Octobris anno MMIX, Pontificatus Nostri quinto.*

**BENEDICTUS PP. XVI**